



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXX. De Confirmatione utili vel inutili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

etiam spectant Bullæ Coenæ *Can. nonus & decimus*: quorum priore in eos, qui ad Sedem Apostolicam ejusque Curiam accedentes, ab eâve recedentes, suâ vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, capiunt vel detinent: posteriore in eos, qui ad Urbem devotionis seu peregrinationis causâ accedentes, in ea commorantes, ab eâve recedentes occidunt, mutilant, capiunt, detinent aut deprædantur: uti & in eos, qui talia temerè præfumentibus auxilium, consilium, aut favorem præbent, latæ sententiæ & Sedis Apostolicæ absolutioni reservata excommunicatio quotannis promulgatur. Inter quos Bullæ Canones seu casus, etsi videantur similes, non una tamen diffe-

rentia intercedit; cùm prior eos, qui litis prosequendæ vel negotii expediendi v.g. tributi solvendi, vel beneficii, privilegii, dispensationis aut alterius gratiæ impetrandæ: posterior illos spectet, qui devotionis, sive peregrinationis ad limina Apostolorum, causâ Romam petunt; & illò, qui Romipetas interficiunt, mutilant, capiunt vel detinent: istò etiam, qui eosdem violentâ bonorum ablatione deprædantur: atque insuper, qui horum aliquid facientibus auxilium, consilium aut favorem dant, Censurâ illâ afficiantur, Suarez de Censur. disp. 21. f. 2. à num. 65. & Palao Tract. 2. p. disp. 3. p. 10. & 11.



TITVLVS XXX.

De Confirmatione Vtili vel Inutili.

SUMMARIUM.

1. Varii actus à Superiore confirmantur,
2. In forma communi & ordinaria,
3. Vel in extraordinaria & speciali.
4. Unde confirmatiõ in posteriori hac.
5. Et in priori forma factam, cognoscatur.
6. Confirmatio communi actum validum roborat.
7. Specialis etiam invalido vim confert:
8. Nisi eam sine prævia cognitione factam constet.
9. In dubio confirmatio presumitur esse communi:
10. Cujus plures sunt effectus,
11. Privilegii innovatione materiali ejus tenor conservatur:
12. Formali eò quæsitum jus firmatur:
13. Aliquando novum conferitur aut amissum recuperatur.

Sæpe contingit sententiam, à qua provocatum est, à superiore confirmari: & aliquando quidem à lege vel canone, eam firmam esse jubente, v.g. propter appellationem negligentiam partis desertam: aliquando ab ipso iudice, à quo provocatum est, appellationem frivole interpositam aut sententiam in rem judicatam transisse declarante:

blarante; aliquando à superiore, ad quem provocatum est, bene iudicatum & male appellatum pronuntiante. Cujusmodi à superiore facta Confirmationis occasione præfenti Rubricæ subiectis textibus de ea generaliter; ac proinde non de sola sententiarum, sed statutorum quoque, uti & privilegiorum, electionum, contractuum, aliorumque, tam extrajudicialium quàm judicialium actuum ac dispositionum Confirmatione agitur. Atque hoc modò & propriè accepta.

Confirmatio est Juris iam priùs habiti corroboratio, facta per legitimum superiorem, *c. Inter 6. V. Ceterum, de Fide Instrument.* Hostiens. in *Summa hie*

n. 1. Prius habiti, inquam; quia ejus, quod invalidum nullumque est, confirmatio propriè non datur, *c. 1. c. Cum dilecta 4. & c. Examinata 7.* cum confirmatio supponat aliquid prius esse, quòd per ipsam roboratur, Bartol. in *l. More 5. §. ff. de Jurudict. n. 5.* ubi ait, confirmantem non censerì dare simpliciter, sed, quod inchoatum est, consummare, & Suarez de *LL. Lib. cap. 18. n. 2.*

2. Sed hoc de præse accepta & ordinaria confirmatione procedit; quia extraordinaria, cum novæ concessionis vim habeat, actus etiam invalidi roborantur & convalescunt.

Confirmari ergo sententiæ, privilegia, contractus, aliique actus duobus modis possunt ac solent; aliquando quidem in forma communi seu ordinaria, sicut contingit, quando superior, nullà vel non exactà causæ cognitione præmissâ actum, sicut gestus est, confirmat; aliquando in forma speciali sive extraordinaria, sicut accidit, quando actum ex certa scientia, sive accuratè perspectis totius negotii circumstantiis & expensis ejus qualitatibus, corroborat, Panormit. in *c.*

1. n. 6. Gonzalez in c. De confirmationibus 2. n. 5.

Posteriori hòc modò, sive in forma speciali confirmatio à Principe indulta censetur Imprimis, quoties actus seu dispositionis confirmata tenor Confirmationis literis est insertus, *c. Venerabilis 8.* quia ita rem totam sufficienter intellexisse, & actui, defectu v.g. solennitatis, si quis intervenerit, non obstante, auctoritatem suam impendere, & robur addere voluisse, extra dubium est, *citt. Panormit. n. 6. Suarez num. 5. & Felician. Oliva de Foro Eccles. p. 1. quæst. 40. num. 5.*

Deinde, quando literis inserta est clausula, *Ex certa scientia*, Panormit. *citt. num. 6.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 1. eras. 11. q. 5. num. 4.* quia Principi, se sufficientem rei sive negotii gesti scientiam, ac proinde etiam defectus sua auctoritate supplendi, notitiam habuisse, asserenti fides habenda est, *Clement. Unic. de Probat.* Neque multum interest, an Princeps confirmationem suam *ex certa scientia* procedere, formalibus vel equipollentibus verbis, puta *Ex plenitudine potestatis* vel *Non obstante quacunque lege, statuto, consuetudine, qua sit in contrarium* & similibus exprimat; cum etiam hujusmodi clausulis abunde significet, se non secundum Jus commune, sed ultra vel contra illud velle operari, Felin. in *c. Nonnullis 28. de Rescript. n. 12. fall. 4.* & Suarez *citt. cap. 18. n. 6.* Demum, si actus confirmatio ab eo iteretur, Panormit. in *c. Porrella 6. num. 5.* & Donatus *q. citt. v.* quia secunda jussio & rescripti geminatio vim habet clausulæ *Ex certa scientia & Motus proprii*, tollitque subreptionem; cum majorem animi deliberationem & magis enixam voluntatem demonstrat,

Gg gg a

monstret,

monstret, Baldus in l. Nec damnosa 3. c. de Precib. Imp. offic. num. 1. & Tuschus Practis. V. Geminatio conclus. 28. uuv. 49.

5. In forma communi facta confirmatio censetur, quando actus neque inserto ejus tenore, neque alia ejusmodi clausula expressa, sed simpliciter confirmatur: uti & si confirmetur cum clausula Sicut factum vel Sicut iuste & providè factum: vel negotium Sicut secundum Jus, loci, statutum, consuetudinem vel privilegium gestum: vel privilegium, Sicut concessum, & observatum est, confirmatur, c. Examinata cit. & c. Quia diversitatem 5. de Concess. Prab. cit. Suarez n. 7. & Pirthing ad hanc Rubric. n. 5.

Casu, quo confirmationis literis insertus est actus gestus & confirmati tenor, vel clausula Ex certa scientia, vel alia huic æquivalens expressa, in forma speciali indulta confirmatio censetur, non obstantibus verbis, Sicut providè aut iuste factum &c. iisdem relatis; quia hæc non obstant, quò minus constet, Principem rei gestæ notitiam plenam habuisse; ac proinde actum in forma speciali confirmasse, Glossa in c. Venerabilis cit. V. Sicut, ubi Panormit. n. 2. & cit. Suarez n. 5.

6. Multum autem refert, utro ex his modis confirmatio fiat; cum facta in forma communi, licet valide & legitime gesto actui majus robur & auctoritatem conferat, nullam tamen vim & effectum habeat respectu actus, ex quacunque causa invalidi; quia talis confirmatio sequitur naturam actus, c. 1. c. Examinata & c. Quia diversitatem cit. ut jus quidem præexistens approbandò roborat: actum tamen, qui invalide gestus est, in sua nullitate relinquat. Unde ita facta confirmatio quodammodo est con-

ditionalis & includit tacitam conditionem Si sententia iuste lata, Si electio canonica, Si privilegium legitime obtentum fuit &c. Panormit. cit. n. 6. & Decius in hanc Rubric. n. 2. & Oliva cit. q. 40. n. 2. Contra ea, quæ indulta est in forma speciali & ex certa scientia, vim habet novum jus conferendi actui confirmato: eumque, si forte invalidus esset, validum reddendi; quia æquivalens novæ concessioni, suppletque omnes defectus, qui in actu intervenerunt & suppleri possunt ac solent à confirmante, Laiman, in c. 1. n. 3. & 5. & Gonzalez cit. n. 5. Unde antiqua privilegia alicujus Ordinis Religiosi, quæ postea à Papa vel S. Synodo Tridentina revocata & amissa sunt, per confirmationem in forma communi impetratam non reviviscunt, aut revalidantur: quod tamen contingit, si ea in forma speciali, & ex certa scientia confirmantur, Rodriguez Tom. 1. Regul. q. 8. art. 6. & Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 1. tract. 11. q. 2. n. 48. § 10.

Quantumvis autem, ex certa scientia, aut cum alia æquivalente clausula impetratæ confirmationis vis magna sit, actum tamen invalidum etiam ipsa non roborat, ejusve defectus supplet, quando causæ cognitionem reique gestæ veram notitiam non præcessisse, ex præsumptione aut alia legitima probatione habetur; sic enim clausula Ex certa scientia &c. non confirmantur contractus & alii actus irriti Jure Naturali aut Divino, v.g. contractus usurarius: vel, cuius confirmatio in notabile præjudicium tertii cedit; quia jus tertio quæsitum tollere, eive derogare Princeps, si specialiter non exprimat, nunquam censetur, c. Super eo 15. de Offic. deleg. § 1. Prax. ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publico: Neque supplet defectum veritatis, cum falsitas

falsitas est narrata, *c. De confirmationibus* cit. neque etiam defectum, quem supplet confirmans, licet absolute possit, tamen non solet, sine expressa ejus mentione, ut est defectus habilitatis personæ, Laiman, in *c. 1. de Transact. n. 3.* & Oliva cit. *quæst. 40. à num. 6.*

9. Porro quâ formâ confirmatio facta censerî debeat casu, quò id literarum tenor ambiguum relinquit, dubitandi ratio est; quod ex una, actum, præfertim *Pa. 2a* & alterius supremi Principis, interpretari conveniat, ut aliquid operetur, & otiosus non sit, *arg. l. Item veniunt 20. §. 6. in fin. ff. de Petit. heredit. l. Quoties 12. ff. de Reb. dub. ex altera verò parte, specialis plurimum; communis autem & ordinaria confirmatio parùm & penè nihil operari videatur; cum invalido vim nullam conferat: validus autem actus absque ea robur habeat ac subsistat. Verùm, quia interpretatio, communi Juri consona, ei, quæ ab hoc divertit, potior est, *arg. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. §. 1. Precipimus 32. in fine c. de Appellat.* quando literarum tenor dubius est, confirmationem pro communi potius quàm speciali & extraordinariâ habendam, cum Decio in *hanc Rubric. n. 2. volunt citr. Suarez n. 7. Oliva n. 30. & Donatus q. 6. n. 1.* eâ etiam persuasi ratione; quòd confirmatio simpliciter & nullò additò factò supponat esse rem, quæ confirmatur; cum sit qualitas accidentalis: non entis autem nullæ sint qualitates, *arg. l. Si servum 4. §. ff. de Act. empti §. c. Bona 23. de Elect.**

10. Neque hujusmodi sive in communi forma facta confirmatio otiosa est; cum eius non levis momenti sint effectus; quia aliquando actum inchoatum consummat ac perficit, in re, atque administrandi ius confert, absque ipsa ad rem tantùm ius habenti; ut de Confirmatione Electionis

Canonicè factæ, & ab Electò acceptatæ, perspicuum est, ex *c. Nosti 9. c. Qualiter 17. de Elect. §. c. Avaritia 5. ibid. in 6.* actui seu dispositioni confirmatæ confert maiorem auctoritatem; ut magis observetur: neque ita facillè impugnetur aut evertatur; quia actum confirmando Princeps, quodammodo facit suum, *arg. l. 1. C. de Ver. Jur. enucl. ubi Imp. Omnia, inquit, nostra facimus, quibus auctoritatem impertimus, Laiman. in c. 1. n. 3. & Barbosa in c. Cum dilecta 4. n. 22.*

Dubium aliud hoc loco movetur, an novum ius conferatur privilegii Innovatione. Non est autem sermo de innovatione merè Materiali, quâ deperditum aut antiquum eius instrumentum; ne chartâ vel characteribus cotrofis, cum tempore inutile reddatur, transcribitur aut aliter innovatur; huiusmodi enim innovatione novum ius non conferri, discretè habetur *c. Cum dilecta cit. c. Ex parte 13. §. c. Quia intentionis 29. de Privileg.* quia tali innovatione id solum intendi solet, ut privilegii tenor & probatio conservetur. Sed de Formali, quâ innovatur ipsa Principis concessio, & ex ea privilegiato competens & instrumentò contentum ius: cuiusmodi innovatione, an novum ius conferatur, iuxta dicta, pendet ex eius modo seu forma; cum, si ista communis, ius quidem, si aliquid quæsitum & nunquam amissum est, principali auctoritate muniat ac roboret; si vero specialis sit, ius novum conferendi, aut id, quod amissum est, redintegrandi restituendique vim habeat, iuxta dicta & tradita à cit. Barbosa n. 11.

Atque hanc privilegii redintegrandi vim eius in forma speciali facta innovatio habet, non solum, quando id revocatum fuit per Jus commune, quod Princeps privilegium innovans in scrinio pectoris sui

ris sui habere & non ignorare præsumitur, c. 1. de Constit. in 6. sed etiam, quando id amissum fuit per non-usum aut usum contrarium, aut etiam per revocationem hominis & Constitutionem, Juris communis Corpore non clausam; quæ, in privilegii innovatione formâ speciali utens, eius ante concessi & amissi exactam notitiam, & id restituendi voluntatem habuisse præsumitur. Accedit; quod

Summus Pontifex privilegia ex certa scientia innovans, quando Prædecessorum suorum revocationes tollere eisque derogare non vult, addere solet, *Dummodo sub nullis revocationibus sint comprehensæ* quæ verba otiosa forent, si Privilegii ex certa scientia facta innovatio non haberet vim restituendi privilegia antiqua, ab homine revocata, ut probè advertit Donatus cit. *Tract. 11. q. 7. n. 2.*

Libri II, Institutionum Canoniarum
FINIS.





